

ect & decipit, vt dum voluptatis captandæ gratia vel alterius negocij prætextu audiunt; Veritatis, Bonitatisque præceptione salutifera iocundè afficiuntur; quas, nisi sic propinarentur, illi auerfarentur vtique ex parte vel profus.

*Videtur igitur Poëtica instrumentum suadendi bonum, & verum, quatenus bonum, iocundè & inaduertentur, per sermones mirificè iocundè que figuratos; quod aliæ scientiæ per simplices vix assequuntur. Idcirco rectè dictum est à nobis in precedentilibro dum de Rhetorica sermonem faceremus, esse Poëtica Rhetoricam quandam figuratam, quasi magicam, quæ exempla ministrat ad suadendum bonum & dissuadendum malum delectabiliter iis, qui simplici verum & bonum audire nolunt, aut non possunt, aut nesciunt. Omnis quidem Ars est donum, & proles sapientiæ diuinæ: ergo datur ad utilitatem, vt dicit Apostolus. Igitur quæ ad perniciem exercentur, artes non sunt, vt doctè Chrysostrmus probat: ergo sunt abusus, excrementa artium verarum. Si igitur poëtica Ars est, habet vsum in Rep. igitur instrumentum est legislatoris: quoniam nō circa Verum per se, sed circa bonum versatur. Igitur laudabit bonos, & virtutes: vitia detestabitur, & prauos: hic legem, & Religionem stabiliet, & cum voluptate propinabit præcepta, quibus Resp. & amicitia seruantur; quæ per se videntur difficilia, austeraque: voluptate tamen, de vase summi Boni stillante, perfusa, suauiter nostris instillantur sensibus, obediensque nos faciant. Quod enim cum voluptate hauritur, amatur, crescit, executioni datur: sicuti contra dolorifica nos absterrent; mediocria verò paucos habent sectatores. Persuadet quidem & Rhetor vitia & honesta: cuius rei gratia laudat, vituperat, accusat, defendit, proponit obiecta voluntati, & singulis affectibus: quos & per obiecta excitat, & per dicentis vehementiam, & dictionis modulos, & per rationes quibus ligatur animus, sicuti in precedentilibro dicebamus: item & voluptate profundit sermonem, vt auditorum subeat facilius animos: At dum ista operatur, tegit Artē,*